



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XLVII. Epistola Ruperti Episcopi Bambergensis ad Archiepiscopum  
Moguntinum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

presumunt, ut hostis, consolari distulisti. Et quia inde causa  
mœroris & suspicionis mihi suboritur, & ideo per fraternalm  
compassionem, & nostrum obsequium vos deprecor, ut apud  
Dominum nostrum Episcopum fideli interuentu causam me-  
am agatis, scientes, quod in vestra, imo nostræ Ecclesiæ lau-  
dem hoc redundabit, si vestro auxilio nostrum honorem di-  
uina benignitas stabilire dignetur.

XLVII.

*Epistola Ruperti Episcopi Bambergensis  
ad Archiepiscopum Moguniti-  
num.*

**D**ominus & Patri sanctæ Moguntiæ sedis Archipontifici, Rupertus Dei gratia Babenbergensis Episcopus cum instantia precum fidele seruitium.  
Nos proculdubio fore illos, in quos fines seculorum venerunt, ex ipsis in dies declaratur periculis. Nam vt cetera omittam, quibus absque morarum interuallis quatimur, imo consternamur, quid vñquam à barbarie nobis incuteretur atrocius, quam à nostra fidei Professoribus, qui vota fidelium, precia peccatorum, respectu diuini timoris postposito, quasi hæreditario iure ad se transmissa suis vñibus addicunt? Et nos, quibus oblationum earundem credita nescitur dispensatio, vel miris irrident modis, vel in vincula coniiciunt; vel, quantū in ipsis est, morte multare non perhorrescunt. En ego minimus Episcoporum vester, tamen in domo Domini qualiscunq; cooperator, quibus & quantis calamitatibus à Comite N. affiorat qui agros Ecclesiæ meæ, tanquam suos, per trienium, aut eo amplius prædatoria manu occupat. Quem cum nec iure nec gratia à tanto scelere possem reuocare, confratum & fidelium meorum consilio, membrum Ianians & persequens Ecclesiam Dei, secundum instituta Canonum à cōsortio eiusdem matris Ecclesiæ gladio anathematis recidi. Quod idcirco vestra sanctitati significare curauī, quatenus auctoritate diuinitus vobis collata, pertinacię ipsius obuietis,

Ss 2 ne

ne iniquitatem scientes, & silendo dissimulantes, tyrannidem ei quandoque nocitaram robore videamini. Fraternis ergo compatiendo pressuris, ascendite quæso ex aduerso. Nam quamvis pauci simus numero, communicatis tamen sinceris viribus, Domino patrocinante, cuius vicem gerimus, facile calumnias peruersorum propulsabimus.

## XLVIII.

*Epistola Präpositi Bambergensis ad Fridericum, Coloniensem Archiepiscopum.*

**S**Acrosanctæ Coloniensis Ecclesæ Archipontifici Friderico primævæ indoli virtutum ac dignitatum affectuonem respondentem Präpositus cum totto Babenbergensium Fratrum Collegio impensisima vtriusque hominis obsequia.

Quam festiva vestrae beatitudinis promotione suscepimus gaudia, nullius, quantilibet diserti, explicabit facundia. Quis nam quæso Orator, illum nostri pectoris vocibus prosequeretur affectum, cum filium charissimum sub pennis nostræ fraternitatis fotum & altum in Cathedra Coloniensis Ecclesæ videmus exaltatum? Ea quippe die, nostræ statum Ecclesæ, in aliquibus temporis asperitate nutabundum, in tantum speravimus esse sufficiendum, ut vobis superstite, nullum vel sentire possit dispedium. Sed, quod nimirum nostris adscribendū est infortuniis, non solum hoc sterilitatis anno vestris non sumus releuati suffragiis, verum etiam vobis grauioribus occupato negotiis, nostris per vos destituti sumus oblationibus.

Nostis quidem, Präfulum Serenissime, nostræ querelæ causam, iam iamque processu temporis inueteratam; quæ, licet sè penumero per fratres nostros auribus vestris innotuerit, nihil tamen nobis vestra maiestatis contulit audientia; quin imò eo usque res deducta est, ut non solum ad tempus bonis nostris caruisse, sed & ea prorsus videamur amississe. Siquidem miles vester N. pertinaci animo nostram retentat oblationem, nec illa ratione afferit se redditurum,